Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Unde tremore magno concussus, pavimento prosternitur, et iterum cum lacrimis orationem fundens surrexit incolomis, et accepta sensit abeundi habere libertatem. Igitur arrepto itinere incalescente nimium sole siti corripitur. Veniens autem ad villam vie proximam unam casulam adiit, aquam deposcens. De qua egrediens iuvenis dare responsum, ut eos vidit insaniam corruit. Factusque est sicut mortuus. Concurrentes autem parentes eius calumpniabantur homines, asserentes parentem suum eorum magicis artibus fuisse peremptum. Et apprehensum puerum levaverunt eum semivivum. At ille de manibus eorum elapsus, percussis palmis cepit debachando clamare vel dicere, quod martyris Iuliani virtute exuretur. Clericus vero hec audiens, positam super caput eius casulam cum pignoribus sanctis, fide plenus orare cepit ad dominum. Ipse quoque cum vomitu sanguinem demonium proiciens, purgatus abscessit. Dehinc firmatus in fide portitor iter totum cum psalmis et gratiarum actione carpens ad locum preoptatum, martyre ducente pervenit. Iam exinde tempore procedente, quanti ibi energumini frigoritici vel diversis morbis oppressi martyris virtute sanati sunt, nec nomina retinui, nec numerus potuit colligi.

Sed tamen reliqua vero insignia susceptiendorum miraculorum ponimus, et illud quod insipientes corrigat, et roboret sapientes.

Igitur Cautini episcopi tempore, quo ingruentibus peccatis populi Arverna regio ab excidio luis, quam inguinariam vocant devastabatur, ego Brivatensem vicum expetii, scilicet ut qui meritis tutari nequibam, beati martyris Iuliani salvarer presidio. In quo dum commorarer vico, unus puer ex nostris ab hoc morbo corripitur. Reclinatoque ad lectulum capite graviter agere cepit. Erat autem febris assidua cum stomachi pituwita, ita ut si aliquid acciperet, confestim reiceret, nec erat ei cibus confortatio, sed magis exitus putabatur. Denique mei cum viderent eum in extrema vexari, ariolum quendam invocant. Ille vero venire non differens accessit ad egrotum, et artem suam exercere conatur. Incantationes inmurmurat, sortes iactat, ligaturas collo suspendit, promittit vivere quem ipse mancipaverat morti. Hec autem me nesciente agebantur. Que cum michi delata fuissent amarissimo reddor dolori, et cum gravi suspirio illud commemoro quod dominus per Helyam prophetam Ochozie regi pronunciat dicens: Quia dereliquisti dominum deum Israel, et consuluisti deum Accaron, ideo de lectulo in quo ascendisti non consurges, sed morte morieris. Nam iste post arioli adventum validius febre accensus spiritum exalavit. Cui post obitum iam positus paucis diebus puer alius simili laborare cepit incommodo. Cum ego eis dixi: Accedite ad martyris tumulum, et aliquid exinde ad egrotum deportate, et videbitis magnalia dei, atque cognoscetis quid sit inter iustum et iniustum, et inter timentem deum, et non servientem illi. Accedentes autem parumper pulveris circa sepulchrum iacentis sustulerunt, de quo ut hausit infirmus, cum aqua potionem assequitur medicinam, recuperatisque viribus ac restituta febre convaluit. Intelligite ergo nunc omnes qui insipientes estis in populo, et postquam ista discusseritis, scitote quia nichil sunt que ad seducendum humanum genus diabolus operatur. Ideo moneo ut si quis vexillo crucis signatus, si quis baptismi ablutione mundatur, si quis vetustate deposita in novo nunc homine viget, diabolica postponat ac negligat. Querat autem patrocinia martyrum, per quos sanitatum miracula celebrantur. Postulet adiutoria confessorum, qui vero amici sunt dei nuncupati, et quod voluerit obtinebit.

Eo tempore quo post obitum presbyteri martyrarius Urbanus diaconus huius basilice ordinatur edituus, mira res ad sepulchrum sancti apparuit. Nam vigilante diacono in lectulo suo auditus est sonitus quasi ostium basilice panderetur. Post multarum vero horarum spacium audivit eam iterum claudi. Post hec surgens de stratu, precedente lumine accedit ad tumulum sancti martyris dictum, videt pavimentum rosis rutilantibus esse respersum. Erant autem magne valde, cum fraglantia odoris inmensi. Et hec erant ita virides, ac si easdem ipsius putares hore momento ramis virentibus esse discerptas. Tunc cum grandi reverentia collectas secreto posuit, multis exinde infirmis medicamenta distribuens. Nam energuminus quidam ex Turonico veniens, ut exinde delibutum potum sumpsit, eiecto demone purgatus abscessit.

Mulier erat a nativitate ceca, que se exhiberi a parentibus ad beati Martini tumulum deprecata est. Ubi cum venisset, prostrata per triduum ad cancellos qui ante sepulchrum sancti antistitis habentur, extrinsecus responsum accepit per somnium dicente sibi sancto viro: Si lumen recipere desideras, require basilicam sancti Iuliani, in qua dum presidium martyris expetis, ille coniunctus Martino visum tibi necessarium simul orationum suarum suffragiis revocabunt. Exurgens autem mulier ignorans quod in Turonico huius martyris reliquie tenentur, ad Santonicam urbem dirigit. Victurina etenim materfamilias, ex nobili stirpe progenita in ville sue territorio basilicam construxerat, reliquiasque beati martyris condiderat. Ad hanc ergo ecclesiam mulier accedens orat per triduum. Die autem tercia advenit natalis baptiste domini. Stante autem populo, et lectionum dogmata auscultante, subito murmur magnum oritur. Presbyter vero qui sollempnia celebrabat, comprimere voces cupiens, interrogat quid hoc esset. Cui unus ex astantibus ait: Murmur quiescere non potest, quia virtus domini miraculum prodidit. Ecce enim mulier illa que ceca testabatur, erumpente ab oculis sanguine visum recepit. Tunc omnes benedixerunt deum, cognoscentes parti que fuerant gesta.

Eantius presbyter domus Ulbacensis martyris huius gloriosi reliquias expetiit. Quas ex iussu beati Aviti pontificis sumptas, cum psallendo usque ad basilicam sancti Ferreoli que procul ab ipso vico sita est pervenisset, unus ex energuminis